



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

5 De variis præparationibus ad Meditationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

in anima mea tempestatem excitarunt, quare & meditationis nauicula supra modum exagitetur, & est naufragio proxima. Precor itaque te supplex vt imperes huic mari, & his ventis, vt sequatur tranquillitas, egoque possim orationi commodè vacare. Inter materias, quas meditandas pro compressione passionum suscipere queas, S. THOMAS numerat considerationem rerum vniuersalium, vt v. c. nouissimorum, mortis, inferni, &c. Hac ratione passionem concupiscentiæ extinxit monachus ille, qui expendens pœnas inferni, probauit ignem ardentis candelæ. Alius verò representat vanam consuetudinem ridendi, dicendo. *Sistendus es ante tribunal Dei, & rides?*

De variis Preparationibus ad meditationem.

CAPVT V.

Quo ars aliqua nobilior & præstantior est, hoc pluribus, & subtilioribus vtitur instrumentis, vt liquet in artificio aurificum, si comparetur cum opificio fabrorum ferrariorum. Cum ergo Meditatio sit exercitium vt dictum est supra, simile beatorum in cœlo, non debes mirari, si præter præparaciones iam numeratas dicamus superesse.

peresse alias, tam hoc quam in sequenti capite commemorandas.

PRIMA præparatio est, omnes materias contemplandas habere paratas, & in ordinem redactas; ne postea ab vna in aliam diuagandum sit. *Fastidientis est stomachi*, inquit B. Bonauentura in speculo disciplinæ, *multa degustare*. Nec ideo negamus præter ordinarias meditationes nonnunquam alias assumi posse, vt in festis Christi, Beatæque Virginis MARIÆ, aliisque sollemnioribus. imò laudamus, quia pium & sanctum est affectû nostrum conformare cum Ecclesia sancta, quæ tunc illorum festorum mysteria ob oculos ponit. Id tantum dico, non facile debere mutari statas materias, etiamsi sæpe spes fructus spiritualis se offerat: solet enim Sathanas transfigurare se in angelum lucis, & nonnunquam ad aliam materiam suscipiendam impellere, vt tandem vtramque subripiat. similesque reddamur cani, qui particula carnis verè mordicus apprehensa, cum maiorem videret in aqua, priorem dimisit, & sic vtraq; destitutus est.

ALTERA est, vt vesperi, antequam cubitum cõcedas, perlegas puncta, vel historiam postera luce considerandam, etiamsi

E s putes

putes quodammodo tibi perspectā, tum vt
vsum inducas vesperi ea plegendi, tum quia
recenti lectione manifestius imprimuntur
memoriæ, & firmitus: quod seruiet & præ-
parationi sequenti.

TERTIA est, vt lectis punctis, cum quali-
cunq; licet leui eorundem recordatione so-
mnum capellas. Sicut enim si in vnam ce-
ram successiue multa sigilla imprimas, vlti-
mum tandem suram tantum effigiem, prio-
ribus inductis, in illa relinquit: sic in phan-
tasia tua, in quam toto die variæ rerum spe-
cies impressæ fuerunt, species dictorū pun-
ctorum extremum locum, priorib; expun-
ctis, retinere poterunt. Quod documētum
proderit & pro sequenti præparatione.

QVARTA enim est, vt simulatq; mane
euigilaueris, prima cogitatio tua sit de me-
ditationis materia: id enim si feceris, non
facile occurrent alia, quæ meditationem
proximè futuram distrahant. Felicius etiam
sucedet, si pridie magno cum eius rei desi-
derio obdormias, ac intempesta nocte for-
te excitatus, leuiter saltem idem recogites.
Experti siquidem sumus, non solum inter-
diu nos cogitare, quæ vehemēter amamus,
sed etiam noctu de iis somniare, imò exci-
tatis primum ea in mentem venire. Cæte-
rum

rum hic diligenter retinendum est, vespertinam illam cogitationem non debere esse seriam, sed leuem & superficialem, & similiter nocturnam De nocturna dico, si casu euigiles. nec enim opus est data opera, vel quærere, vel optare excitationem. Quod idcirco moneo, quia non expedit somnum necessarium sibi adimere, cum experientia probatum sit, quando caput adhuc vaporibus grauatum est, intellectum in discursu spiritali obtundi. Et dæmon, qui rem hanc exploratam habet, nonnūquam specie aliqua boni obiecta, meditatores in hoc genere egregiè fallit, vt in aliis deinde orationibus obruantur somno. Noui ego Patrem quondam eximia virtute, maximè autem orandi dono præditum, qui cum quodam diluculo diu multumque laborasset vt attentè, excussa omni somnolentia, meditari posset, tandem animaduertit se aliquot horas ordinario somno pridie detraxisse. Indulget igitur ad breue tempus naturæ somnum, & rursus meditationem aggressus consueta agilitate feliciter eam profecutus est. Quando autem nihil tibi constat de tali defectu antegresso, & meditâti somnus, vel tædium obrepit, autor sum tibi; vt consilium
& ex-

& exemplum boni P. Sebastiani Romœi, viri cum virtutum omnium, tum imprimis mortificationis & contemptus sui studiosissimi, (quo nomine B. P. N. IGNATIO erat carissimus, qui crebrius in eo genere eum exercuerat,) imiteris. Hic enim solitus erat dicere. Si somnus tibi in meditatione obrepat, & post ordinaria, facilioraque remedia (de quibus postea agendum) non abscedat, fac vnam disciplinam. et si nondum cedat, adde secundam: quod si nec sic recedat, etiam tertiam. Si verò nec tertia profuerit, securè somni aliquid capias, quia manifeste liquet naturam somno indigere. Quod autem dæmon somnum orantibus ingerat, inde credere possumus, quod legimus apud Cassianum, S. Macarium visibiliter spectasse dæmonem duobus digitis palpebras occludentem cuidam monacho, cum spiritali collationi cum aliis multis interesset.

QVINTA, atq; postrema præparatio est vicina, vt inter vestiendum & antequam ad meditando procedatur, vel oratione aliqua vocali, quam menti infixeris, vt aris, vel pia aliqua cogitatione tempus transmittas, ne dæmoni locus detur inutiles vel noxias cogitationes in mentem tuam iniiciendi.

ciendi. Quamprimum enim animaduertit mentis nostræ molendinum piarum cogitationum frumento vacare, mox suas paleas & quisquilias prauarum vel leuium cogitationum iniectat.

De Preparationibus immediatis.

C A P. V I.

AD intelligendam primam Præparationem, quam sum allaturus, necesse est à me quoddam poni & exponi fundamentum, quod posuere multi sancti. nimirum, nos dum oramus, colloqui cum Deo, sicut dum legimus libros spirituales, maximè autem diuinas scripturas, Deus loquitur nobiscum. Vnde merito colligitur, nos, dum oramus, debere non modo intus in animo, sed extrinsecus etiam corpore summam reuerentiam diuinæ maiestati deferre. Et enim, qui vult cum summo Pontifice colloqui, simulatq; in conspectum eius venit, in terram vsq; se inclinat, & rursus cum ad medium aulæ venerit, ac tertio cum iam est proximus, & quod eo plus est, quamdiu cum eo sermonem habet externo gestu corporis est admodum compositus, interiorq; ad verba & mandata Pontificis valde attentus, ob supremam Pontificii status dignitatem: Sic etiam summa reuerentia uti